

no incalescenti, remotis arbitris, pollicetur, se in speculo, quod illic erat, imaginem formosissimae puellae, tunc Coloniam profectae, repraesentaturum, statimque Agnetis facies comparens, Gebhardi oculos euerberavit. x) Exarsit scilicet ad illum aspectum Praesul, et exinde Agnetem inuisere, ad se inuitare, ac longe familiarius y), quam Episcopum ac puellam decebat, solus solam adhibere coepit. Equidem non diffeor, non omnes Scriptores idem plane amoris istius initium recensere, et inprimis id, quod de nigromantico attuli, ad fabulas vulgi referre; interim tamen id etiam non negant. Constat etiam non insolitum eo tempore fuisse, ut quaelibet fere Aula istiusmodi praestigiatos ad oblectamentum Principum aluerit. Congruit quoque chronologia, qua sub idem tempus Scotum istum plura malignae suae artis specimina hinc inde dedisse nouimus. z) Quiquid vero huius sit, in hoc tamen omnes conueniunt, fuisse Gebhardum amore Agnetis misere captum et propter nimiam cum illa familiaritatem merito suspectum: idque prius, quam de mutanda Religione, aut concedendo libero Religionis exercitio quicquam auditum fuit. Ne vero quis de huius rei veritate dubitet, amoris huius turpis initia accuratius ita referuntur. Visa Agnete Coloniae, statim quidem exarsit Gebhardus, occasionem autem eadem potiundi ipsi praebuit aduentus tortissimi Herois, Petri Ernesti, Com. Mansfeldii, qui ad Agnatos in Thuringiam proficiscens, et Bruelam, palatio pontificali nobilem, transiens, omni honoris pompa est exceptus a Gebhardo, occasionem simul

B

ar-